



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Sententia affirmans, ut verior & probabilior eligitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

Disput. 4.
Art. 1.
§. 2.

Deus non possit venire in compositionem alterius, saltem per modum partis componentis, ut ostendimus Tractatu precedenti, agentes de simplicitate Dei: Ergo essentia divina non potest uniri intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis.

Confirmatur: Hæc unio essentia divina per modum speciei cum intellectu beati, deberet fieri per aliquam novam actionem Dei: At nulla potest assignari nova Dei actio, quæ illa extrema inter se conjungat: Ergo nequit dari talis unio essentia divina cum intellectu creato.

79 Ad objectionem in primis responderi potest cum Ferrarienti 3. contra Gent. cap. 51. distinguendo Majorem. Debet aliquid per se unum resultare, in esse naturali, & entitativo, nego. In esse intentionali, & intelligibili, concedo. Eodem modo distinguenda est Minor: nam licet ex unione essentia divina per modum speciei cum intellectu beato, non possit unum per se resultare in esse naturali, & entitativo, bene tamen in esse intentionali, & intelligibili.

Respondeo secundo negando Majorem, Ut enim supra ostendimus ex doctrina Aristotelis, & Commentatoris: ex intellectu, & intelligibili non resultat aliquid tertium, sed potius ipse intellectus transit in rem intellectam, & fit ipsum objectum in esse intentionali, & intelligibili: anima enim (inquit Aristoteles) intelligendo fit omnia. Unde in visione beatifica, intellectus lumine gloria perfusus, & divina essentia ut specie intelligibili actuatus, & completus fit uniformis, & veluti Deus in esse intelligibili. Quare tunc præsertim verificatur illud Prophetæ Psalm. 81. Ego dixi Dii esis, & filii Excessi omnes, & completur illud Christi Joan. 17. Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

80 Ad confirmationem dicendum, unionem essentia divina per modum speciei intelligibilis cum intellectu beati, fieri per eandem actionem per quam infunditur lumen gloria: nam actio quæ attingit ultimam dispositionem ad aliquam formam, extenditur ad unionem ejus cum subiecto, ut docent Philosophi. Unde cum lumen gloria se habeat per modum ultimæ dispositionis ad receptionem, seu quasi receptionem essentia divina in ratione formæ intelligibilis, ut dicemus disputatione sequenti: consequens est, ut infusio illius, sit etiam unio ejusdem essentia per modum speciei cum intellectibus beatorum.

ARTICULUS IV.

An essentia divina, unita intellectui Beatorum per modum speciei intelligibilis, activè concurrat ad claram Dei visionem?

§. I.

Sententia negans proponitur, & præcipua eius fundamenta referuntur.

81 Partem negantem tenent Bannez hic, & quidam alii, existimantes essentiam divinam in ratione speciei, intellectui beatorum unitam, non esse principium effectivum ut quo, sed tantum formale, respectu visionis beatificæ. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum est, quia

omnis species activè concurrens ad intellectiōnem, subordinatur intellectui; talis enim concursus, cum sit vitalis, subordinari debet potentia vitali, & ab ea dependere: Sed divina essentia repugnat subordinari intellectui creato, & dependere ab illo. Ergo & activè concurrere ad visionem beatificam.

Præterea, Tali concursus activus si daretur, non esset liber, sed necessarius, quia procederet ab ipsa divina essentia immediatè, & non à voluntate, vel à potentia executiva: Sed nullus potest dari concursus Dei ad extra, qui non sit liber: Ergo &c.

Addunt alii, quod relationes in divinis non sunt activæ ad extra, ut communiter docent Theologi: Sed illæ uniuntur intellectui beatorum, per modum objecti motivi, & speciei intelligibilis: Ergo influere activè ad intellectiōnem non est de ratione speciei. Quod confirmant ex communi sententia Thomistarum, qui docent substantiam Angeli gerere vices speciei impressæ in sui cognitione, & tamen illa non potest activè influere in talem operationem: cum nulla detur substantia creata, quæ sit immediatè operativa, ut docet D. Thomas infra q. 54. art. 3.

§. II.

Sententia affirmans, ut verior & probabilior eligitur.

Deo breviter, essentiam divinam, ut unitam intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis, activè influere in sui visionem. Ita communiter docent Thomistæ, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses hic disput. 2. dubio 3.

Probatur primò conclusio: Illud quod ultimò determinat, actuatur, & completur intellectum creatum ad claram Dei visionem, ad illam activè concurrens: Sed essentia divina, per modum speciei intelligibilis intellectui beatorum unita, ultimò illum determinat, actuatur, & completur ad claram sui visionem: Ergo activè in illam influat. Major constat, complementum enim virtutis activæ, ad lineam virtutis activæ pertinere debet, & esse principium activum, saltem ut quo. Minor verò probatur: quia intellectus illustratus, & perfusus lumine gloria, non intelligitur esse ultimò completus, & determinatus ad claram Dei visionem, donec intelligatur essentia divina, unita intellectui in ratione speciei intelligibilis. Ut enim supra ostendimus, & docent Philosophi in libris de anima, ad quamcumque intellectiōnem, duplex requiritur complementum, ac determinatio: una ex parte potentia, quæ fit per lumen intellectuale: altera ex parte objecti, quæ procedit à specie intelligibili ejus vices gerente; quia intellectio fit per assimilationem, & unionem potentia cum objecto.

Probatur secundo: Visio beata non solum specificatur à lumine gloria, sed etiam ab essentia divina, in ratione speciei intelligibilis unita: Atqui actio specificatur à forma, & virtute quæ est principium effectivum illius, v.g. calefactio à calore, illuminatio à luce: Ergo non tantum lumen gloria, sed etiam essentia divina, intellectui beatorum per modum speciei unita, activè influat in visionem beatificam.

Tertiò suadet conclusio: Essentia divina, ut unita intellectui beatorum per modum speciei, debet attribui quidquid est de ratione speciei intelligibilis ut sic, dummodo nullà includat imper-

imperfectionem : Sed concursus activus est de ratione speciei intelligibilis, & nullam involvit imperfectionem : Ergo essentia divina, ut unita intellectui beatorum per modum speciei eribui debet. Major patet. Minor verò quoad utramq; partem probatur. Et in primis, quod species intelligibilis activè concurrat ad intellectionem, communis est Philosophorum doctrina, ex utroque Sancto Doctore, Augustino, & Thoma desumpta: Augustinus enim 9. de Trinit. cap. 12. dicit, *Omnis res quam cognoscimus, congenerat in nobis sui notitiam: ab utroq; enim paritur notitia, à cognoscente & cognito: ubi verbum congenerat, & parit, concursus activum objecti, mediante specie, manifeste designat.* Idem colligitur ex S. Thoma infra quæsit. 76. art. 1. ubi loquens de specie intelligibili, dicit quod *illa se habet sicut forma quæ est principium actionis in aliis agentibus.*

Eadem veritas ratione suadet: Nam in illa generatione spiritali (id est in productione verbi, quæ fit ex unione potentia cum objecto) istud concurrat per modum masculi, & proinde activè, unde species intelligibilis quam emittit, & potentia imprimi, appellatur à Philosophis semen objecti, quia sicut semen efficienter concurrat ad productionem animalis, ita & species intelligibilis ad intellectionem, & productionem verbi.

Ad quod in hoc distinguitur cognitio à volitione, quod prima fit per assimilationem potentia cum objecto; secunda verò se habet per modum impulsus, & tendentiæ in objectum: unde ad cognitionem, objectum mediante specie sui vicariâ, debet concurrere per modum principii activi determinantis & complementis potentiam in actu primo: ad volitionem verò, solum per modum termini in quem voluntas fertur, & à quo extrinsecè tantum & objectivè specificatur.

Quod autem concursus activus in specie intelligibili, nullam dicat imperfectionem, quæ est secunda pars Minoris principalis, videtur manifestum: Tum quia genus causæ efficientis nullam essentialiter involvit imperfectionem, sicut genus causæ formalis, & materialis; unde reperitur formaliter in Deo, ut constat. Tum etiam, quia in tali concursu activo nulla includitur subordinatio, & dependentia ab intellectu creato, ut existimat Bannez. Licet enim quando principium quo effectivum est ejusdem ordinis, & rationis cum operante, illi subordinetur; & ita species naturalis subordinetur intellectui creato: quando tamen principium formale effectivum est altioris ordinis, tunc non est subordinatum potentia vitali quam complet & perficit: certum enim est, quod lumen gloriæ est principium effectivum visionis beatæ, tamen non existimo illud esse subordinatum intellectui, sed

potius è contra: intellectus enim accipit virtutem & efficaciam ab illo; unde cum essentia divina in ratione speciei intelligibilis unita, sit ordinis superioris, non subordinatur intellectui creato, sed potius sibi illum plenissimè subijcit. Confirmatur: Tunc solum species est principium quo subordinatum intellectui vel toti supposito intelligenti, ut principium quod quando ab illo sustentatur, & recipit esse; quia à quo res habet esse, ab illo habet operari: unde cum essentia divina, unita intellectui creato ut species, sit ipsum esse per se subsistens, nec sustentetur ab intellectu creato, sed potius illum sustentet, & conferret in esse, non subordinatur intellectui,

A sed hic potius illi, in quantum per illam perficitur ad intelligendum. Item quamvis concursus speciei in hærentis intellectui, habeat ab illo vitalitatem; concursus tamen speciei, quæ est suum esse, & suum vivere (qualis est divina essentia) non habet ab intellectu vitalitatem, sed ab ipsamet specie à qua effectivè procedit; imò à vitalitate hujus speciei pendet vitalitas supernaturalis, quam habet intellectus beatus à lumine gloriæ. Et per hoc plenè solum manet primū & præcipuum fundamentum adversæ sententiæ.

Ad secundum dicendum, talem concursum non esse necessarium, sed liberum; quia licet sit im mediatè à divina essentia, non elicitur tamen ab illa, nisi ut liberè applicata, & unita per modum speciei, & formæ intelligibilis intellectui beatorum. Sicut licet subsistentia increata Verbi Divini, per se ipsam immediatè terminet humanitatem assumptam; quia tamen hæc unio & terminatio supponit liberum Dei decretum, applicans omnipotentiam, ad conjungenda illa extrema, inter se infinite distantia, idcirco non censetur necessaria, sed libera. Adde, quod unio essentia divina per modum speciei, essentialiter supponit aliquam actionem Dei liberam, scilicet infusionem luminis gloriæ, quæ est ultima dispositio ab illam.

Ad tertium, concessa Majori, neganda est Minor: ut enim ostendimus Tractatu præcedenti, sola natura divina habet rationem speciei, & objecti per se primò motivi, respectu divinæ intellectionis, non verò relationes, vel attributa.

Ad ultimum quod paulò difficilior est, fusè respondebitur in Tractatu de Angelis; nunc breviter dico, quod licet substantia Angeli nequeat esse immediatum principium operandi, per modum potentia activæ, nec proinde in esse entitativo, & naturali: bene tamen per modum speciei, & in esse intelligibili. Quare essentia Angeli distinguenda est, in se ipsam ut habet rationem naturæ (scilicet intellectivæ) & ut est objectum actu intelligibile, seu ut habet rationem speciei; & secundum hanc posteriorem rationem inest illi aliqua immediata activitas, scilicet verò secundum priorem: quia ut docet S. Thomas loco citato, nec in Angelo, nec in aliqua creatura, potentia operativa est idem quòd sua essentia.

DISPUTATIO III.

De lumine gloria.

Considerato principio ad visionem beatificam ex parte objecti requisito, superest ut aliud quod se tenet ex parte potentia, & à Theologis, *Lumen gloria*, appellatur, in hac disputatione contemplerur, & necessitatem, varique ejus munera declaremur.

ARTICULUS I.

Utrum lumen gloria sit necessarium ad videndum Deum.

Lim Begardi & Beguina, existimantes intellectum creatum posse naturaliter videre Deum, consequenter negabant animam indige-